



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118030**

§. 41. Papa profectionem sacram urget.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

restituendum triplum compellantur. Sæcul. XIII.  
 Quicumque Personam Ecclesiasticam co- A. C. 1220.  
 ram Judice sæculari sive in judicio civili,  
 sive criminali persecutus fuerit, jus suum  
 amittat, & Judex Jurisdictione sua pri-  
 vetur. Eadem pœna sit Judicis, si a Cle-  
 rico ter monitus ei justitiam non admi-  
 nistret. Patarini, Leonistæ, Arnaldistæ  
 alique Hæretici infamia notantur, eis  
 publice bellum denunciatur, Banno pro-  
 scribuntur, eorum opes arario Principis  
 addicuntur, liberi ab hæreditate paren-  
 tum excluduntur. His adduntur pleræ-  
 que clausulæ, quæ in Decreto ultimi  
 Concilii Lateranensis contra Hæreticos  
 occurrunt. Tum sequuntur non nulla  
 Statuta naufragis, peregrinis in itinere  
 morientibus, & agricolis faventia. Tan-  
 dem hanc Imperatoris Constitutionem  
 Papa confirmat.

§. XLI.

*Papa professionem sacram urget.*

Ceterum Pontifex in omnibus provin-  
 ciis auxilia Pelusium mittenda ur-  
 gebat. Data Epistola, Archiepiscopum  
 Rotomagensem ejusque Suffraganeos  
 hortatus est, ut, prædicatoribus in totam  
 illam provinciam missis, Cruce signatos  
 ad arma capiendâ excitaret. Conrado  
 Reismbergensi, suo in Germania Lega-  
 to, antea Ecclesiæ Spirensis Decano, &  
 Mogun-

*S. ep. 356.*

*Rainald.*

*1221. n. I.*

*Bucel. p. I.*

*p. 18.*

*ep. 357.*

O o 4

Mogun-

Saecul. XIII.  
A. C. 1220

ep. 460.

ap. Hon. ep.  
450.

ep. 440.

Moguntinæ Canonico, nuper electo Episcopo Hildesheimensi, monita transmissit, ne acquisita Dignitate Episcopali a prædicatione Belli sacri retardari se pateretur. In Italia Legatum suum in negotio sacræ peregrinationis creavit Honorius Cardinalem Hugolinum Episcopum Ostiensem, quem ob fervorem discretum & optimi exempli vitam, populis ad hoc bellum excitandis maxime idoneum censuit. Epistola, qua eum Papa Episcopis Italiæ commendat, die decima quarta Martii anno millesimo ducentesimo vigesimo primo data est.

Quin etiam Fridericus Imperator, Salerni commorans, jam die decima Februarii ad Cardinalem Hugolinum Epistolam dederat, in qua dicebat, se, ut piissimo & utilissimo bello faveret, plenam potestatem ei tribuere, qua omnes Banno Imperii subjacentes, intra Legationis suæ fines, absolveret, ita enim negotium expeditionis contra Saracenos sibi curæ esse, ut nihil magis.

Eundem ardorem Imperator profitetur, cum Mediolanenses ad opem Palæstinae ferendam exhortatus est, data Epistola, cujus ornatus jactantiam magis & simulationem, quam sinceritatem redolet.

Interim Fridericus, cum ipsi expeditio suscipienda esset, tergiversabatur;

saecul. XIII.

A. C. 1220.

ep. 709.

ut cognoscimus ex Papæ querelis in Epistola, die decima tertia Junii ad eum data, in qua dicit: *Utinam Deus tibi banc mentem inderet, & pensares, quam ardenti tui desiderio Ecclesia Christianorum transmarina teneatur, & quanta spe recreaveris Ecclesiam universam, quæ te ad vindicandam urbem Hierosolymam, relicti omnibus, summum conatum adhibiturum eo confidentius credit, quod ad id perficiendum cunctis necessariis divinæ Providentiæ beneficio instructus sis. Nunc vero multorum murmurantium gemitus audiuntur, quod edito voto promissa exequi differas, & retineas triremes, in quas arma virosque contuleras, tempestive auxilio futuras, si modo mitterentur, cum hujus generis navigiis exercitus Cruce signatorum caveat. Claudit Papa Epistolam, Principem in nomine Jesu Christi, qui ipsa veritas esset, obtestans, ut bona fide promissa impleat, & in re tanta sincere agat. Respondit Imperator, se, ut mandatis Papæ obsequeretur, in Palæstinam misisse triremes quadraginta, Ducibus Comite Maltensi, & Episcopo Catanensi, instructas. Cui reposuit Papa; si Imperatori fixum fuisset tunc non proficisci, saltem triremes suas mittendas fuisse, quæ multo plus auxilii attulissent.*

O o s.

Hoc

Sæcul. XIII.

A. C. 1221.

*Ric. S. Ger.*

Hoc anno millesimo ducentesimo vigesimo primo ineunte, Fridericus Imperator in Apulia versabatur, unde in Siciliam delatus, complures Constitutiones Regno utiles edidit. Quia vero etiam de quibusdam Ecclesiis Cathedralibus suo arbitrio decrevit, Papa per literas conquestus est, in hunc modum: *Diu est, ex quo fama ad nos detulit, quod potestatem tuam ad electionem Episcoporum extendas, nominatim ad Ecclesiam Averfanam aliasque in provincia Salernitana vacantes. An funestum Antecessorum tuorum abusum revocare moliris, immemor, quod contrarium Innocentio Papæ tumque nobis iurejurando promiseris?* Hæc Epistola vigesima prima Augusti data.

## §. XLII.

*Robertus Imperator Constantinopolitanus.*

Inter hæc Constantinopoli Robertus Cortenacensis Imperium consecutus fuerat. Cum Jolanda Imperatrix, Petro Imperatore Marito suo in vinculis detento Constantinopolim pervenisset, in lucem edidit filium, quem a propinquo sui nomine Balduinum amici appellarunt, atque anno millesimo ducentesimo decimo nono mater fatis functa est. *Pe-*

*du Cange  
hist. C. P.  
lib. 3.*

*Chr. Antis.*